

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXVI. Qualiter homo cor suum de omni tribulatione offerat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

est nobis janua vitæ¹, orans ut per amorem divini Cordis mei, quo omnium hominum onera portavi, faciam eam onus tristitiae suæ cum gratitudine amanter supportare. »

CAPUT XXVI.

QUALITER HOMO COR SUUM DE OMNI TRIBULATIONE DEO OFFERAT.

ALIA vice cum pro una oraret, quæ certificari desiderabat si cum Deo permansura esset, vidi animam ejusdem coram Domino flexis genibus, cor suum ei propinan tem, in modum calicis duas aures habentis, voluntatem et desiderium figurantes, quibus illa Deo cor suum offerebat. Dominus autem calicem illum grata nter accipiens, posuit in sinum suum. Habuitque duas amphoras, unam auream a dextris, et a sinistris argenteam, nunc de una, nunc de altera infundens pariter commiscebatur: in aurea amphora dulcedo divinitatis, in argentea vero labor humanitatis ejus erat; quod insimul in cor hominis infundit, cum illi in tribulatione suæ divinæ consolationis dulcedinem dat sentire et labores suæ humanitatis tribuit in solamen.

Duplic'a per
Christum
homini
solatia.

Et ait Dominus: « Cum homo gravatur, si in ipso initio mihi illud propinaret, ego cum inde biberem, ex ore meo tantum dulcedinis infunderem; unde sic nobilitaretur, ut nunquam de cætero posset perire. Sed cum homo prior inde bibit, inficit illud, et quo plus bibit, eo magis amariatur, ut jam me inde bibere non deceat, nisi pœnitentia et confessione purgetur. » *Glosa.* Cum homo tristatur, statim omne gravamen suum Deo offerre deberet; tunc ipse dulce-

1. Antiphona vetus ad Crucis adorationem in Parasceve.

Quantocius
ad Deum
gravatus
confugiat.

dinem suæ consolationis ipsi immitteret, et ad patientiam animaret, nec unquam permitteret gravamen illud absque fructu deperire ; ita si contingeret hominem postmodum ex sua fragilitate illud resumere, inde scilicet cogitando vel loquendo, hoc quam citius pœnitentia deleretur. Sed cum homo gravamen suum ipse vult portare, labitur in impatiens, et quo plus tractat, nunc inde loquendo, nunc cogitando, eo gravius et amarius sibi erit ; et cum postmodum ad se redit, jam illud Deo offerre non audet, quia nec illum decet. Attamen adhuc non diffidat, sed confessione et pœnitutine illud purgatum, Deo humili spiritu et corde contrito studeat propinare.

Post hæc Dominus personam illam benigne amplexatus est dicens : « Nemo tollet a me animam tuam. » Benedicens etiam eam, signum crucis impressit ei dicens : « Divinitas mea benedicat te, humanitas mea confortet te, pietas mea loveat te, amor meus conservet te. »

CAPUT XXVII.

QUALITER ANIMA CHRISTO COLLUDAT, ET DE DECIIS.

ALTERA vice cum pro eadem persona Virginem gloriosam exoraret, visum est ei quod beata Virgo daret ei tres decios dicens : « Hos da ei ex parte mei, ut cum his Filio meo colludat ; assolet enim sponsus sponsæ colludenti, annulos, monilia, et si quid habet delectabile quod manibus operata est, sibi per ludum auferre ; similiter et ipsa quidquid sponsus habuerit, sibimet vindicare. » Tunc illa divinitus inspirata, intellexit per unicum punctum decii designari hominis vilitatem et dejectionem, quam tunc